

- 1444 de ejus provinciæ possessione futurum certamen: quum Franciscus Picinini filius, sub initium Picæni belli Bononiæ a patre relictus, Hannibalem Bentivolum, ob factionis potentiam jam antea suspectum, in Varianensem arcem relegavit. Ille vero Galeatii Marascotti & Virginii Malvecii opera inde dilapsus, Bononiam se contulit, populoque ad libertatem vocato, Franciscum ipsum cum præsidii parte oppressit. Quo postea cum Caspate & Achille Bentivolis commutato, Bononienses ut recuperatam libertatem commodius tuerentur, ad Venetos & Florentinos misere, qui ab eis societatem & auxilia peterent; utrumque benigne concessum. Duorum illustrium populorum societate & viribus freti, non solum libertatem illi retinuerunt, sed Alovizio Vermio ex suis finibus ejecto, municipia & arces fere omnes brevi receperunt. Et ut reipublicæ corpus facilius coalesceret, placuit Baptistam Cannedolum, jam inde ex quo Eugenius Bononiam receperat, extorrem, cum omnibus suæ factionis in patriam restitui, cujus neptem Hannibal ad veteres inimicitias abolendas, uxorem duceret. Sed neque recens affinitas, aliave necessitudo veteri odio obstitit: Hannibal non multo post a Betotio Cannedolo & aliis ejus nefarii consilii consciiis exceptus, in insidiis fæde trucidatus est. Ejus indigna morte Bononienses moti, arreptis armis, Cannedolanæ factionis principes ac plerosque alios subito obtruncant, & imprimis Baptistam ipsum, cujus cadaver per urbem distractum in publico concrematum ferunt. Libertas interim sociorum umbra suo vestigio constitit. Sed ne Bononia solum, verum etiam Sforciæ periculum utrumque populum vehementer sollicitum habebat. Angebantur Veneti, quod non multo antea Christophorum Tollentinatem ac plerosque alios viros illustres exaudoratos dimiserant: & Bartholomæus Collio ad Philippum transiverat: quare non sine ingenti difficultate videbantur arma, si opus fuisset, reparaturi. Miserat Philippus Guilielmum Monferratensem & Carolum Gonzagam, qui Bononienses acri bello infestarent: Veneti variis curis circumventi, Tybertum Brandolinum,
- Thad-

*Bononienses
se in liber-
tatem asso-
runt.*